



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de
monte Carmelo**

Trithemius, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1643

Præfatio eiusdem, in idem opus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



IOANNIS TRITHEMII
ABBATIS SPANHEIMENSIS
IN LIBRUM DE ORTV ET
Progressu Sacri Ordinis Fra-
trum Carmelitarum.

P R Æ F A T I O.

Recibus & instantia quorun-
dam Patrum de Ordine Fra-
trum B. MARIE semper Vir-
ginis de Monte Carmelo, subie-
ctum opus aggressus sum: in quo
breuiter laudes eiusdem sacratissimæ Religio-
nis, quantum rei familiaris cura ingenijq; vi-
res per exigua sinebant, describere constitui:
& quemadmodum à foundationis suæ princi-
pio vsque in hunc diem profecerit, demonstrare
compendiosius elegi. Verum, cum non sit specio-
sa laus in ore peccatoris, vehementer timeo, ne
Ordinis tam excellentis dignitas, me à tardita-
te obfuscetur: fiatq; mihi, quod imperitis ora-
toribus solet contingere: qui præclaras res sua
imperitia solent deturpare. Enimuero, cum
parcius alicubi scripsisse videor, non sum esti-
mandus rebus defecisse, sed verbis. Maxima
quippe Carmelitici Ordinis excellentia est: que
non

non modo meam, sed Demosthenis quoque facundiam & eloquentiam procul excedere videatur. Varij sunt in Ecclesia Dei Ordines: huic tamen pra omnibus tantum conceditur, ut titulo Beatissima DEI Genitricis & Virginis MARIAE decoretur. Cum ergo maximis rebus laudandis ingenia parua non sufficiant, quid mirum, si ego in celebrando preclarissimum Ordinem videar deficere? Satisfeci quidem amicis urgentibus: quanquam minus potuerim, quam volebam. Adhuc Carmelitani Ordinis in pectore viget amor: adhuc laudandi superabundat materia: sed pra rei excellentia deficiunt verba.

Magnam huius Ordinis institutio laudem promeruit: quam Regina caeli suo vocabulo insigniuit. O vere beata unio, quae tanta Parentis munita presidio in aeternum firma consistit! Sub Dei Matris protectione Carmeliticus Ordo quiescit: & idcirco nulla unquam aduersa formidabit. Gaude decus CARMELI: te mundi Sator ob Matris honorem diligit: te, Domina mundi, Virgo MARIA, ut oculi pupillam, custodit: te superna patria ciues colunt, amant & laudant: nomen & honorem Imperatricis suae in te sedulo venerantes. Recti quoque diligunt te, memores pulchritudinis tuae. Te nemo veraciter diligit, nisi bonus: nemo institutionem tuam odio habet, nisi peruersus. Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis Euan-

gelij pacis, quam venusta facies, quam elegans forma, quam decorus aspectus. Beati cultores tui, qui ambulant in semitis veritatis, qui contemptis mundi rebus, tua precepta deuota sinceritate custodiunt. Maior es, o CARMELI sacra Religio, quam ut verbis meis valeas predicari. Silere à tuis laudibus non valeo, quoniam quod virium negat infirmitas, charitas subministrat.

Iam nunc igitur, vos amici, presentis Operis opportuni exactores de manu vestri, Ordinisq; Carmelitici amatoris, diu optatum munus suscipite: & Deum Maximum pro meis reatibus sedulo exorate. Habetis ex me postulatam Opusculum, in quo vestris petitionibus satisfeci, sed minime nostra voluntati. Plus enim pro decore vestri Ordinis volumus, quam possumus. Deinde vos Fratres, sub Virginis Matris chlamyde militantes compello: vos precor & oro, ut si deuotio in Ordinem vestrum nostra vobis videtur laudabilis, pro nostris ad Dominum culpis interueniatis: nobisq; Dei Genitricem vestra Religionis Patronam placabilem reddatis atque propitiam. Hoc inquam agite, ut nostri merces Operis amor fraternus sit, & oratio unitatis.

* *
*